PROLEGOMENA SPECIALIA
DE TEMPORE ANTE DILUVIANA

§ I De Imperijs ante Diluvianis propter moniment: Historicorum defectum certi quicq vix afferri potest quamquam n. non improbabile sit inter Cainitos obtinuisse Imperia (cum contra Sethitæ imperio paterno subiecti erant) qualia tamen ea fuerint non liquet ac proinde quæ de Egiptiorum & Caldæorum Dinastijs ante Diluvianis apud Scaligerum & Micrelium afferuntur sublestæ fidei sunt, & Dinastiæ ille potius pro post Diluvianis & simultaneis quarum plures simul extiterint; quam ante Diluvianis & successivis quarum una alteri successerit, habendæ sunt: alias n. Dinastiæ Egiptiæ ipsum mundi initium longe ante vertent.

§ II Ex sacris constat mundum conditum esse Hexaemero et quidem ut probabile est Anno termillesimo nongentesimo 40 quinquagesimo ante Christum natum idque in Autumno sexto die illius Hexaemeri conditus est Adamus & paulo post ex eius costa producta est Eva neque n. androgenus aut bifrons fuit primus homo quod Iudæorum alias commentum est. fuit autem Adamus omnino primus homo et non Iudæorum tantum sed omnium hominum parens quod contra Isaacum Peirerium præadamitarum parentem plane evictum est, vixit idem Adamus per breve temporis spatium in paradiso ad fluvium Euphratem in Caldæa situ deinde ob peccata eiectus est,

MONARCHIA PRIMA,

SIVE

ASSYRIORVM.

Vna cum

CHRONICO POPVLI ISRAELITICI,

&

REBVS ILLVSTRIVM GENTIVM,

earum maxime, quæ ad monarchiam adſpirauere, aut iis ſe oppoſuere.

Adamo plures fuerunt nati liberi quos inter eminent Cainus, Abelus, atque Sethus Caini autem posteri impij fuerunt Sethi contra pij qui veram Ecclesiam constituerunt. porro Enochus septimus ab Adamo vivus in coelum translatus est uti ex Genes. 5. et cap. 11. Epist: ad Hebræos contra Iohannem Trusium probari potest. Ut eius Methusalah inter omnes patres ante diluvianos maxime fuit, Macrobius sive longævus. decimus ab Adamo est Noachus cuius tempore Anno millesim: sexentes: quinquagesimo septimo incidit cataclismus sive diluvium Universale quod non partem aliquam mundi sed totam terram quanta quanta est inundavit & perdita est, seculo post diluvium Turris Babilonica ab hominibus arrogantibus extructa est & linguæ fuerunt confusæ. an a Nimrodus interfuerit huic structuræ itemque an septuaginta duæ linguæ sint ortæ haud absre in dubium vocat Samuel Bochardus part: I Geograph: sac: postmodum mundus inter Noachitas h. e. Semi Chami & Iapheti posteros divisus est unde sine dubio orta est fabula de Saturno qui mundum universum tribus Filijs Iovi, Neptuno & Plutoni divisisse fingitur.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id363461612/9
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG